Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26827
Copyright: Admont, Benediktinerstift

siue magis ab eis aliquid passi sunt, quam ipsi tale aliquid aliquando fecerunt: ego intro ad donatistam et dico. In consilio tuo posuisti de maximianistis. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Vnum non datur quem digito leserint maximianiste. Quid mihi aliud responsurus est nisi quod ego dico? Qui se separauerunt ab unitate et animas seducendo interimunt, spiritaliter non carnaliter sanguinem fundunt. O optime exposuisti, sed in expositione tua cognosce facta tua. Viri sanguinum et dolositatis. In fraude dolositatis, in simulatione, in seductione. Quid ergo? Illi ipsi qui diuisi sunt prae ira uultus eius, ipsi sunt uiri sanguinum et dolositatis. Sed quid de illis ait? Non dimidiabunt dies suos. Quid est non dimidiabunt dies suos? Non proficient quantum putant, intra tempus quod non sperant peribunt. Ipse est enim perdix ille de quo dictum est. In dimidio dierum eius derelinquent eum, et in nouissimis suis erit insipiens. Proficiunt sed ad tempus. Quid enim ait apostolus? Maligni autem homines et seductores proficiunt in peius, ipsi errantes et alios in errores mittentes. Cecus cecum ducens simul in foueam cadent. Merito cadunt in puteum corruptionis. Quid ergo ait? Proficient in peius, non tamen diu. Nam paulo ante dixit. et ultra non proficient. hoc est non dimidiabunt dies suos. Sequatur apostolus et dicat quare. Dementia enim eorum manifesta fit omnibus sicut et illorum fuit. Viri sanguinum et dolositatis non dimidiabunt dies suos. Ego autem in te sperabo domine. Merito illi non dimidiabunt dies suos, quia in homine sperauerunt. Ego autem a diebus temporalibus peruenio ad diem eternum. Quare? QUIA IN TE SPERAVI DOMINE.

Explicit de psalmo L. IIII.

Incipit de psalmo L. V

SICUT ALIQUAM DOMUM intraturi, cuius sit et ad quem pertineat in titulo inspicimus, ne forte importune irruamus quo non oportet, neque rursus timiditate reuocemur ab eo quo oportet intrare, tamquam ergo si legeremus in his prediis illius aut illius, ita in superliminari psalmi huius habemus inscriptum. In finem, pro populo qui a sanctis longe factus est, ipsi dauid in tituli inscriptione, cum tenuerunt eum allophili in geth. Agnoscamus ergo populum qui longe factus est a sanctis in tituli inscriptione. Et tenet hoc enim ad ipsum dauid, quem iam nostis intelligere spiritaliter. Neque enim commendatur nobis nisi ille de quo dictum est. Finis legis Christus ad iusticiam omni credenti. Ergo in finem cum audis, in Christum intende, ne in uia remanendo non peruenias ad finem. Quicquid enim est ubi infra steteris antequam ad Christum peruenias, nichil aliud dicit sermo diuinus nisi accede. Nondum enim est locus ubi securitas sit. Est quidam locus ubi statio fidissima collocatur, est quedam petra ubi domus secura consurgit, ut non metuat ymbrem, tempestates, flumina. Impegerunt enim in domum illam et non cecidit. Fundata enim erat supra petram. Petra autem erat Christus, sub nomine dauid figuraliter, quia de illo dictum est. Qui factus est ei ex semine dauid secundum carnem. Quis est ergo populus qui longe a sanctis factus est in tituli inscriptione? Ipse titulus ostendat nobis populum istum. Scriptus est enim quidam titulus in dominica passione quando dominus crucifixus est. Erat ibi titulus inscriptus hebraice, grece et latine. Rex iudeorum. Tribus linguis tamquam tribus testibus titulus approbatur, quia in ore duorum et trium testium stabit omne uerbum. Istum titulum cum legissent iudei, indignati sunt et dixerunt ad pilatum. Noli scribere rex iudeorum, sed quia ipse dixit se regem esse iudeorum. Ipsum dixisse scribe dixerunt. Non hoc est quod dixit. Sed quia